







1758. 81. quam sit conditio dulcis sine  
pulvere palmae.

— " 82. de Fdolo zeli Hefek. VIII. 3.

— " 83. de nominibus a metro  
alienis

— " 84. Censura poetica nauorum  
poeticorum.

1759. 85. VI. Abhandl. von Sanguinigkeit.

— " 86. lex viva in mortuis spirans.

— " 87. Ein wöthige Erbiung der Er-  
und samkeit nach Diefelben.

— " 88. von dem Gott nicht gutem  
Subjuncto

— " 89. 2<sup>te</sup> Theil der von gelofeten  
Fragebungen

— " 90. de viro opportuno Levit.  
xvi. 21.

1759. 91. de Pallade armata cum Musis  
inermibus
- " 92. de nominibus personarum et  
locorum communibus
- " 93. Vrb. generorum und miader  
nigantorum Dusselg
1760. 94. von Gulstaban Pringau.
- " 95. Comment. D. nomina disci-  
pulos. extraneos. in Schola Frei-  
bergensi versatorum
1761. 96. de mutuis bellis Decorum
- . 97. de Narcisso litterario.
- . 98. de fomniis Judaeorum exe-  
geticis ad Genes. 1. 1.
- . 99. commentat. XI. memoria  
discipulorum extraneos. in  
Schola Freiberg. versatorum.
1762. 100. de bellis Scholis fatalibus.
- . 101. de muliere vagues suas fa-  
ciente signo luctus.


1762. 102. Commentat. XII. memoria disci-  
pulos. extraneos. in Schola Frei-  
berg. versat.
1763. 103. De Septimo quoqz Judaeorum  
anno Sabbathario.
- . 104. De genere irritabili vatum.
- . 105. De Panda pacis Dea,
- . 106. Swendsen über den windsturm  
in der Stadt Grönau.
- . 107. De primis rei metallica in-  
ventoribus.
- . 108. De Augustis Augustorum mor-  
tibus.
1764. 109. Die Geschichte des Herrn  
von Grönau in der Stadt Grönau.
- . 110. De numis rei numaria reforma-  
ta testibus.
- . 111. Von dem Herrn von Grönau  
in der Stadt Grönau.
- . 112. De antiquitate fodinarum metallicarum.

1765. 113. Probr von vltan und neuen Einbal  
 Uebersetzungen.
- . 114. de Februalibus veterum.
- . 115. Vanus Dei vltimi augur.
- . 116. nachtr. Aufs. der hünigirgen  
 hünigirgen und Quellmalz  
 usen milien H. Affingren
- . 117. de Iosepho fratrum lectissimo  
 Genes. xxi. 26.
- . 118. de monumentis poetis anima-  
 libus brutis statutis.
1766. 119. 2<sup>te</sup> Probr von vltan und neuen  
 Einbalübersetzungen
- . 120. super Q. Horatii Sc. Theologia
1767. 121. 3<sup>te</sup> Probr von vltan und neuen  
 balübersetzungen
- . 122. Sermones animalium brutorum  
 testimoniis atq; exemplis pro-  
 bati.



1767. 123. Scholarum scylla et charibides.
1768. 124. von Gännen und Mäuzen.
- . 125. de Horatio Musico
- . 126. de Fove Hospitali.
- . 127. de Palmis alphabeticis.
1769. 128. VII. <sup>te</sup> Lib. von Springmäuzen.
- . 129. de Genio Saculi litterario.
- . 130. monumentor. poeticor. animalibus brutis positorum fasc. II.
- . 131. 3<sup>te</sup> Kluckhase von yalghuten Inrijbungaru.
- . 132. de montibus symbolicis.
- . 133. de Gracia anigmatum studiosa.
1770. 134. Vnig knöfffige Mitter in Erd<sup>n</sup>  
 Spring und Fülau zu baylör<sup>n</sup>  
 Inuu.
- . 135. de feriis seruorum.
- . 136. quid sit שדקח-האערה  
 Numer. IV. 20.

1770. 137. De nominibus prophetiis  
 1771. 138. Von böyßer Dürben.  
 — . 139. de Seneca de pontano.  
 — . 140. de laudibus nimis  
 — . 141. de religione iuramenti  
 — . 142. de Bibliothecis patriarcharum.  
 — . 143. de Regibus Sebae et Schebae  
 1772. 144. Vom Lünge und Mündgen  
 — . 145. De Stimulis diligentie in Scholis  
 excitanda.  
 — . 146. de porcis sacris et mysticis.  
 — . 147. VIII<sup>te</sup> und letzte Abhandlung von  
 Garguindgen.  
 — .  
 M. Van. Gotts. Josephi Hübler  
 Elogium M. Goo. Gottlieb  
 Biedermanni.



n.  
s  
x





QVAM SIT  
CONDITIO DVLCIS  
SINE PVLVERE PALMAE?

EX HOR. L. I. EP. I. 51.

---

SVCCINCTE EXPONIT  
ET  
FINITO EXAMINE VERNALI  
ANNI MDCCLVIII.  
*ORATIONES VALEDICTORIAS*  
PVBLICE HABENDAS  
INDICIT  
M. IO. GOTTL. BIDERMANN R.

---

*FREIBERGAE, Litteris MATTHAEANIS,*

LXXXI.

**T**am horribili armorum strepitu patria nostra adhuc percellitur, tamque incredibili luctu et squalore deformatur, ut non minus animi faucientur, quam aures atque oculi vulnerentur, Vidimus nempe per tempus satis longum

*ludumque fortunae, graesque  
principum amicitias, et arma  
nondum expiatis uncta cruoribus,  
periculosaee plenum opus aleae  
tractari, et incedi per ignes  
suppositos cineri dolofo. a)*

imo vidimus milites in praelium eductos, et cum his summos militiae duces non indecoro pulvere sordidos b) belli sudore calentes, et scissi respersos pulvere campi. \*)

Quae loquendi ratio ex veterum re gymnastica et imprimis arte luctandi optime illustratur, qua bini in palaestra vel porticu, exutis vestibus, brachiis sese mutuo complicabant, et tam diu contendendo certabant, donec alter alterum humi prosterneret. Quod ludorum genus non solum omnium antiquissimum erat, à Cretenfibus nempe profectum, ad Lacedaemonios propagatum, et ab Athenienfibus maxime excultum; sed etiam ad arma tractanda et corporis vires tentandas corroborandasque adcommo-datissimum videbatur. Nudi autem ad luctam accedebant, eo consilio, ne quid obfaret robur corporis experturis; quam ab causam hi ludi *γυμνακοί ἀγῶνες*, ipse vero locus, ubi instituebantur, *gymnasium* adpellabatur. Antequam vero ad hunc conflictum sese accingerent, corpus, quo feliciter congressum sustineret, bifariam praeparabant, nempe oleo inungentes, et pulvere conspergentes. Et unguentum quidem, *ceroma* dictum, quo athletae utebantur, eam ob causam adhibebatur, ut vel membra emollirentur, laboresque sine rupturae aut fracturae periculo perferrent, vel ut corpus vehementi motu calefactum refrigeraretur, sudor autem reprimereetur. Quam in sententiam LVCANVS ita canit: c)

*Ille Cleonaci proiecit terga leonis  
Antaeus Libyci, perfudit membra liquore  
Hospes, Olympiacaee seruato more palaestrae.*

Et sunt, qui Ioannem apostolum ad hunc ritum digitum intendisse statuunt, d) de lucta aduersus antichristum ita loquentem: *unctio, quam vos accepistis, manet in vobis, et vos manete in ea.* e) Quia vero idem corpus, oleo adfuso, lubricum fiebat, ut colluctantium comprehensiones admitteret, pulvere atque arena conspergebatur, quibus locus ad luctam destinatus abundabat, hanc ob causam

a) *Hor.* L. II. Od. I.

b) l. c.

\*) *Stat. Theb.* VIII, 7.

c) *L. IV.* 600. sqq.

d) *Lydiü Agonist.* S. cap. 8.

e) *I. Ioh.* II, 27.

causam *coniferii* nomine insignitus, Quem pulveris in luctando usum poëta innuit, eundem, quem supra celebravit, athletam his verbis repraesentans; f)

*Ille, parum fidens pedibus contingere matrem,  
Auxilium membris calidis infudit arenas.*

Vtrumque morem STATIVS coniungit: g)

*Postquam oleo gausa cutis, petit acquor uterque,  
Pro cursu medium atque hausta vestitur arena.  
Tum madidos artus alterno pulvere siccant.*

Ita autem utrinque luctabantur athletae, ut non pugnis se mutuo percuterent, quod pugilum erat, sed ut brachia conferrent, et manibus tenacissime complicarentur: quod ex eiusdem poëtae verbis proximis adparet:

*Collaque demersere humeris, et brachia late  
Vara tenent.*

id quod etiam SENECAE testimonio comprobatur: h) *in pugna solis pugnis pugili uti licebat, in lucta vero impulsu tantum et tractu, itemque pressione et supplantatione, ut non caederetur concertator, sed prosterneretur.*

Omnis igitur vis huius certaminis in eo erat posita, ut alter alterum humi prosterneret, vel, pede supposito, subuerteret, ipse autem rectus perstaret: quo ex more multi formulas loquendi sacras explicant: *על עפר יקום* postremum super pulverem stabit; i) *γυνεσθε ἀμετροκινητοί*, estote immobiles, k) etc. Ut exemplo ea illustremus, quae iam in medium attulimus, eam iam luctam animo contemplemur, qua Hercules cum Acheloo congressus legitur, et quam OVIDIVS, ut solet, elegantissime describit, hunc ita loquentem filens: l)

*Brachiaque opposui, tenuique è corpore varas.  
In statione manus, et pugnae membra paravi.  
Ille cauis hausto spargit me pulvere palmis,  
Inque vicem fulvae iactu stanscit arenae,  
Et modo ceruicem, modo crura micantia captat,  
Aut captare putes, omnique a parte laceffit.  
Instat anhelanti, prohibetque resumere vires,  
Et ceruice mea potitur: tum denique tellus  
Pressa genu nostro est, et arenas ore momordi.*

Neque infelicis LVCANVS, eiusdem Herculis cum Antaeo luctam exponens, canit: m)

*Conseruere manus et multo brachia nexu,  
Colla diu grauibus frustra tentata lacertis  
Immotumque caput fixa cum fronte tenentur.*

Vti

f) Lucan, IV, 614.

g) Thebaid, VI. 844.

h) Ep. XIII.

i) Iob. XIX, 26.

k) I. Cor. XV, 58.

l) Metamorph. IX. 33. sqq. — 61.

m) L. IV. 116. sqq.

Vti vero maximae laudi erat, ex arena victorem digredi: ita peracto certamine praemia pro meritis publice distribuebantur. Et ii quidem, qui curam tam ludorum quam praemiorum habebant, ἀθλοθεται vel etiam ἀγωναθεται, itemque ἑκαστοδικοι, h. e. certaminum praefecti, arbitri, et iudices dicebantur. Ipsa autem praemia HORATIVVS nomine palmae semel atque iterum insignit. Sicuti enim ea arbor oneri non cedit, sed aduersus pondus subinde surgit; ita eadem praemium victoribus dignissimum videbatur, qui loco non cesserant. Namque statim in limine carminum puluerem cum palma coniungit: n)

*Sunt, quos curriculo puluerem Olympicum*

*Collegisse iuuat, metaque seruidis*

*Euitata rotis, palmaque nobilis*

*Terrarum dominos euebit ad deos.*

mox victores, qui ex ludis Elaeis redibant, diuinis honoribus adficiendi, hoc modo depingit: o)

*quos Elaea domum reducit*

*Palma caelestes.*

mox arbitrum pugnae ostensurus, in cuius potestate situm est, victoriam adsignare, utri velit, dicit p) eum

*posuisse nudo*

*sub pede palmam;*

mox autem ignominiam certamine cedentis cum honore luctando vincens collaturus, ita canit: q)

*Palma negata macrum, donata reducit opimum.*

Atque ex his iam praelibatis facile intelligemus, quorsum valeat eiusdem poetae sententia: r)

*Quis circum pagos et circum compita pugnae*

*Magna coronari contemnat Olympia, cui spes*

*Cui sit conditio dulcis sine puluere palmae?*

Quamuis nimirum concessum esset, ut colluctaturos puluere sese mutuo adspargerent, et hac ratione cum corporis valetudini, tum faciliori complexui subuenirent; gloriosius tamen putabatur, si absque puluere certamen inirent athletae, quod HERODIANVS s) *νικην ἀκονιστι νικων* adpellat, h. e. victoriam citra pulueris iactum sibi comparare, quali victoria Alcimachum Diopippum superiorem discessisse, PLINIVS testatur. t)

Atque ab his Graecorum ludis non tantum scholae gymnasiorum nomen sunt sortitae, sed etiam puluis eruditus et scholasticus suam inde originem repetit. De illo CICERO loquitur: u) *doctrinam ex umbraculis eruditorem et otio non modo in solem atque puluerem, sed in ipsum discrimen*

n) L. I. Od. I.

o) L. IV. Od. 2.

p) L. III. Od. 20.

q) L. II. Ep. I. 18t.

r) L. I. Ep. I. 5t.

s) L. VI.

t) Hist. Nat. XXXV, 11.

u) de Legib. III, 14.



men aciemque produxit: et iterum: w) haec vos non videtis, quia nunquam eruditum illum pulverem attrigistis. Neque alio ex fonte praeceptum Iudaeorum explicandum videtur, quo discipulos suos excitant; הוי מחאבב בעפר רגלי ההכמים h. e. *voluta te in pulvere pedum sapientum.* x)

Nos autem a lucta et pulvere veterum ad eam palaestram devenimus, in qua iuvenes informationi et disciplinae nostrae traditi eo consilio exercentur, ut praemia aliquando his laboribus digna consequantur, et dulces sine pulvere palmas ex voto reportent. Ne igitur nesciant, quorum scire interest, quid per annum hoc interuallum, studiis extra ordinem susceptis, praeslitterint illi, quibus de meliore luto finxit praecordia Titan, indicem horum laborum tabula praesenti impertimus. Perorarunt scilicet valedicentes

MDCCLVII.

d. XXII. MART. Car. Fridr. Hindenburg, Dresd. *de Numinibus veterum medicis.* Lat. et Sal. Dan. Naumann, Freiberg. *de diacta, medicamento omnium praestantissimo.* Lat. Quibus discessum oratione Latina gratulabatur Christian Ebergott Wunderlich, Culmiz, qua, Horatio duce, y) *bonam conscientiam tanquam optimum viaticum delineabat.* Programma, quod hunc actum indicabat, inscribitur: מקשרהו et קשרוים h. e. *Examen Vernale ex Gen.* XXX, 41. 42. illustratum.

Eodem die valedicturus Christian Ebergott Schneider, Freiberg. Latino sermone *de inuolabili regia maiestate* verba faciebat, cui instituto Cl. DN. CONRECTOR Programma II. *de anima humana* praemittebat.

d. XXVII. Apr. Chr. Ehreg Lebrecht Tzschoeckel, Freib. *de praestantia artis rhetoricae* orationem Lat. habebat.

d. 4. MAI. Polyc. Ehrenfr. Lechla, Haynich, *de necessaria cura et prudenti distributione temporis.* Germ.

d. 25. ei. *de admirabili ouium utilitate* perorando exponebat Christian Daebne, Conradsdorf. Germ.

d. 27. ei. valedixerunt Beni. Gottfr. Schweickert, Dansdorf, et Christoph. Fridr. Tillner, Pappendorf. ille *de pace pro dea olim habita.* Lat. hic *de legibus scholasticis veterum Hebraeorum.* Germ. perorantes.

d. 14. IVN. Fridr. Traugott Hübel, Nassau, *de praestantia et dignitate linguarum sacrarum* loquebatur. Germ.

d. 15. ei. theses quaedam *de lege diuina* disputando ventilabant Io. Aug. Bienert, Freib. opponendo, et Io. Fridr. Helbig, Tuttendorf, respondendo.

d. 22. ei. Ehrenfried Gotthard Coldiz, Tanneberg. *de beneficio pacis, omnium maximo.* Lat. et Io. Christoph Einhorn, Langenau. *de inuidia, vitio omnium pessimo.* Germ.

d. 28. ei. ex decreto legati Richteriani perorauit Chr. Fridr. Müller de Berneck, Olbernhau, *de optimo fortunarum usu ex religione Christiana optime*

w) de nat. Deor. II. 48.

x) פרקי אבות ה' c. l.

y) L. II. Od. 16.

*optime addiscendo.* Lat. *Programma audaces Dithyrambos* (ex Horat. L. IV. od. 2.) explicabat.

d. 29. *ei.* Gottlob Leop. Raus, Wengron - Pol. *laudem scientiarum elegantiorum*, Germ. et C. E. L. Tzschoeckel, Freiberg. *luxum vestium immoderatum* Lat. perorando complectebantur.

d. 19. IVL. Io. Gottlob Burckard, Tanneberg. *de praesantia studii Theologici, eiusque diuina dignitate.* Germ.

d. 3. AVG. Polyc. Ehrenfr. Lechla, Haynich. *chria Latina virtutem patientiae tam utilem quam necessariam commendabat.*

d. 24. *ei.* *de praesantia regni electitii prae hereditario* perorabant Car. Fridr. Winter, Dresd. *Latine*, et Christian Lebrecht Koch, Erbsdorf. *Germ.*

d. 29. *ei.* Io Gotth. Vlich, Misen. *beneficium Hennigianum renouabat oratione* Lat. *de praesenti misera Germania conditione.*

d. 31. *ei.* Gotfr. Imman, Zacharias, Frauenstein. *de praesantia regni hereditarii prae electitio.* Germ.

d. 16. SEPT. valedicebat Maur. Erdm. Engel, Chemn. *oratione Latina, quae Attilae causam defendebat.* Commilitonum nomine gratulabatur Gotthelf Fridr. Oppelt, Crummenhennersdorf *carmine Germanico, quo Germania pacem anhelans repraesentabatur.* *Programma de diis dormientibus* exponebat.

d. 5. OCT. Godofr. Beni. Weber, Dippoldiswald. *sermone Latino opes Sennacheribi prostratas* delineabat.

d. 19. *ei.* Io. Georg. Knebel, Niderschoen. *Numquid et quantum boni ex bello sperari possit?* Lat.

d. 2. NOV. Ern. Amadeus Martini, Mückenberg. *laudes laboris* stilo Romano complectebatur.

d. 9. *ei.* Pol. Ehrenfr. Lechla, Haynich. *sermone Latino amorem erga litterarum studia ardentiorum in animis commilitonum excitare satagebat.*

d. 23. *ei.* *sententiam: Christi meritum esse uniuersale:* disputando confirmabant C. F. Müller de Berneck, Olbernh. *Opponen*, et Io. Gotfr. Richter, Niderschoen. *Respondens.*

d. 30. *ei.* Gottlieb Sigism. Walckhof, Harth. *de vitio otii detestabili.* Germ. et C. E. L. Tzschoeckel, Freib. *de laudibus poëtos* Lat. verba faciebant.

d. 7. DEC. Fr. Tr. Hübel, Naslau. *de metu iudicii extremi tam suadendo quam dissuadendo.* Germ.

d. 14. *ei.* Fridr. Wilh. Müller, Wildenfels. *de ambitione tam laudanda quam vituperanda.* Germ.

MDCCLVIII.

d. 11. IAN. Gottl. Leop. Raus, Polon. *piis votis pro patriae et rei publicae cum sacrae tum ciuilibus et scholasticis salute conceptis nouum annum gratulabatur.* Germ.

d. 25. *ei.* Christian Fridr. Wittig, Iohanngeorgenstadt. *de ebrietate fugienda* perorabat Graece.

d. 30.

d. 30. ei. C. E. L. Tzschoeckel de necessaria mortis meditatione, in obitum commilitonis nostri desideratissimi, Fridr. Dankegott Winzeri, Naundorf. Lat.  
d. 1. FEBR. Gabr. Traugott Schneider, Dippoldiswald, de ebrietate summo studio fugienda. Lat.

d. 8. ei. Christian Gottlieb Schmidt, Burckhardsdorf. exemplum praeclari litterarum cultoris, nuper denatum Winzerum, repraesentabat. Germ.  
d. 15. ei. theses de bonis operibus disputando excutiebant Io. Fridr. Helbig, Opp. Tuttendorf, et Io. Gottl. Bidermann, Naumb. Respondens.

d. 21. ei. valedixit C. E. L. Tzschoeckel, Freib. oratione Latina de iusto pretio eruditioni statuendo: cui abitum faustum adprecabatur Henr. Adolph. Hennicke, Weissensea - Thur. de diuersis hominum animis, belli tempore conspiciis, praefatus. Programma hoc titulo notabatur: *Fatis contraria fata*, ex Virg. Aen. I. 240.

d. 22. ei. Io. Christoph Einhorn, Langenau. praematurum obitum condiscipuli Winzeri cohonestabat Oratione Gallica.

d. 1. MART. Gottlob Fridr. Wenzel, Sayd, sermone germanico in vitium ebrietatis inuehebatur.

d. 7. ei. valedicentes Fridr. Traugott Herzog, Koenigsbrück, et Io. Gottlieb Haacke, Ostlittensis, perorabant, et ille quidem sermone vernaculo usus de fructibus et damnis exemplorum, hic autem silo Latino de admirandis animae facultatibus.

Hae sunt illae dulces sine puluere palmae, quas, si liceat magnis componere parua, bonarum artium et elegantiorum litterarum cultores in nostra palaestra officii suis praeclare functi, adhuc promeruerunt, ea mente in scenam producti, ut signiores ad eandem gloriam sectandam inflammentur. Huc igitur oculos intende atque animum aduerte, ignaue, ut ad hos socios si non anteuertendos, certe exaequandos inciteris. Nam,

quae sit gloria palmae,  
Nonne vides? quum praecipiti certamine currum  
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus,  
Quum spes arrectae iuuenum, exsultantiaque haurit  
Corda pauor pulsans: illi instant verbere torto  
Et proni dant lora, volat vi feruidus axis,  
Iamque humiles, iamque elati, sublime videntur  
Aëra per vacuum ferri atque adsurgere in auras,  
Nec mora, nec requies, sed fuluae nimbus arenae  
Tollitur, humescunt spumis statuque sequentum.  
Tantus amor laudum: tantae est victoria curae! 2)

Quemadmodum enim olim athletae, qui bene steterant, quod erat *νομιμὸς ἀθλῶν*, \*) non solum honoribus efferebantur, sed etiam praemiis publice ornabantur, quod post alios PINDARVS testatur: a) ὁ νικῶν

2) Virgil. Georg. III, 102, sqq.  
Stroph. 4.

\*) 2. Tim. II, 5.

a) Pindar. Olymp. I.

ὁ νικῶν λοιπὸν ἐμφί βίον  
ἔχει μελιτοῦσαν ἔυδιαν,  
ἀθλῶν ἐνεκεν.

h. e. qui vincit, per reliquum vitae cursum suavi tranquillitate fruitur, propter praemia: ita eos, qui strenue in Musarum castris certarunt, neque loco semel occupato cesserunt, praemia tam certa manent, quam copiosa. Memoria dignissima sunt, quae diligentissimus antiquitatum ruspator, IAC. SPONIVS b) ex commentario Sophoclis manuscripto refert, quod nempe locus publicus, ubi Graeci conflictus suos insituebant, tres habuerit columnas, quarum primae, quae sub introitum prostabat, inscriptum erat: ἀριστευε, optimum te praesta! altera in medio stadii collocata hanc vocem prae se ferebat: σπευδε, festina! et tertia in extrema palaestra erecta hoc vocabulo notabatur: καμψον, h. e. reuerte! quae auctor Gallicus apposite ita translulit: ἀριστευε, fai le mieux, que tu pourras; σπευδε, depêche: καμψον, retourne. Et quis non sentit intelligendo, Graecos athleticis et cursoribus stadium ingressis animum his verbis addere, eosque exstimulare voluisse, ut omnes neruos intenderent, ad brabeum consequendum, aut certe palmam aliis dubiam reddendam? Vnusquisque igitur audiat PAVLLVM monentem: μηδεὶς ὕμας καταβραβεύετω, h. e. caute, ne quis vobis palmam interuertat! c)

Quod consilium diuini pio ac religioso animo adhuc sequuntur duo illi adolescentes, qui iam nostris ex amplexibus dimittendi et ad illustriorem campum sunt ablegandi. Ne vero leges palaestrae scholasticae transfiliant, publico, priusquam discessionem faciant, specimine testatum facient, non tantum quos progressus in studio litterarum elegantiorum fecerint, sed etiam, quantum Patronis, magistris, et amicis debeant. Et alter quidem,

GOTTHELF FRIDR. OPPELT, Crummenhennersdorf.  
verbis Latinis insignem hodoeporicorum usum in explicanda scriptura sacra demonstrabit; alter vero

IO. GOTTFR. RICHTER, Niderschoen. Misn.  
oratione Latina et idoneis argumentis ostendet, religionem armis non esse propagandam. Vterque gratiarum actionem sermone Theotisco, eoque numeris victo, subiunget. Quo facto, et legitimis peractis, discessuros bonis verbis stilo poetico germanice conceptis prosequetur comilito probatae indolis, Polycarp. Ehrenfr. Lechla, Haynich.

paucis causas perferutatus, cur Deus futura nos fata ignorare patiat? Non est, quod vereamur, ne vel argumentorum iam indicatorum dignitas vel orationum adstricta concinnitas auscultaturis fastidium sint excitatura.

Quare VOS, qui Musas colitis et scholis fauetis, PATRONI ATQVE AMICI suis quique virtutibus spectatissimi, eo, quo par est, obsequio, rogamini, ut cras ante meridiem hora IX, audita, ad audientes commilitones nostros beneuole accedatis. P. P.

Freiberg. d. XVI, Mart. MDCCLVIII.

b) Voyage d'Italie, de Dalmatie, de Grece, et du Levant. T. I. p. 177. c) Col. II, 18.

Yb 627

ULB Halle  
001 508 164

3



(811148)

TA → OL







QVAM SIT  
CONDITIO DVLCIS  
SINE PVLVERE PALMAE?

EX HOR, L, I EP, I, 5r.

---

SVCCINCTE EXPONIT  
ET  
FINITO EXAMINE VERNALI  
ANNI MDCCLVIII,  
*ORATIONES VALEDICTORIAS*  
PVBLICE HABENDAS  
INDICIT  
M. IO. GOTTL. BIDERMANN R.

---

FREIBERGAE, Litteris MATTHAEANIS,

LXXXI.